



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Salzebvrgensi Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

dam duximus & monendam quatenus diligenter efficias ut quod à nobis rationabiliter est provisum, efficaciter impleatur, non permittens ut quisquam difficultatem ingerat vel impedimentum opponat, universis rebus dicti Episcopi & Ecclesie suae, quas, prout asseritur, detines, eidem sine difficultate qualibet restituis. Datum Laterani Idibus Novembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

MAGYNTINO ARCHIEPISCOPO,
& Episcopo Herbipolensi, & Abbati
Fuldensi Herbipolensi diocesis.

Epist. 119.
De eadem re.

Quantumcunque sit detestabile illud horribile facinus quod &c. *ut in alia per totum usque* quamquam in comitatu fuerint carissimi in Christo filij nostri Ottonis illustris Romanorum Imperatoris cum ad nos coronandus accessit, in nostra tamen praesentia contra dictum Episcopum comparere per se vel responsales idoneos &c. *ut in alia usque* cautelam, discretionis vestrae praesentium auctoritate praecipiendo mandamus quatenus in statum pristinum revocetis quicquid contra saepesatum Episcopum &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* culpabilis coram vobis fuerit comprobatus, ab omni eum officio & beneficio ecclesiastico sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo deponatis &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* compescendo. Quod si non omnes &c. Datum ut in alia.

SALZBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 120.
De eadem re.

Quantumcunque sit detestabile illud &c. *ut in alia usque* judicari. Cum igitur dilectus filius nobilis vir Dux Austriae quaedam bona ipsius & Ecclesiae suae occasione hujusmodi detineat, sicut dicitur, occupata, eundem nobilem rogamus attentius & monemus per apostolica sibi scripta mandantes ut bona ipsa cum fructibus medio tempore perceptis ex eis dicto Episcopo vel ejus nuntio sine qualibet difficultate restituere non postponat. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatinus si dictus Dux quod mandamus neglexerit adimplere, tu eum ad id per excommunicationis sententiam in personam & interdicti, si opus fuerit, in terram suam appellatione remota compellas. Datum Laterani &c. ut in alia.



NOBILI VIRO DVCI AVSTRIAE.

Quantumcunque sit detestabile illud facinus &c. *ut in alia usque* judicari. Cum igitur quaedam bona ipsius & Ecclesiae suae occasione hujusmodi detineas, sicut dicitur, occupata, nobilitatem tuam rogamus attentius & monemus, per apostolica tibi scripta praecipiendo mandantes quatinus bona ipsa cum fructibus medio tempore perceptis ex eis dicto Episcopo vel ejus nuntio sine difficultate qualibet restituere non postponas. Alioquin venerabili fratri nostro Salzburgenfi Archiepiscopo nostris damus litteris in praecipitis ut te ad id per excommunicationis sententiam in personam & interdicti, si opus fuerit, in terram tuam appellatione remota compellat. Datum Laterani Idibus Novemb. pontificatus nostri anno duodecimo.

NOBILI VIRO SIMONI
de Monteforti, Comiti Lecestriae,
Vicecomiti Biterrensi.

Abuisse bajulos dominici verbi fidei ad sinapis evangelicae quantitatem felix tuae translationis promotionis ostendit, dum nominationis tuae non solum sed & denominationis vocabula bonis interpretatus operibus, in auditu auris obedienti secundum nomen tuum in locum peregrinationis exire, ac sicut mons infirmas partes Ecclesiae muniturus, ad verbum praedicatorum fidelium es translatus, ut tuae denominationis deludendo vocabulis in bello Domini fortis esses, pugnandoque cum ministris antiqui serpentis, atrum hereticorum atrium à forti dudum custoditum armato fortior superveniens de ipsius erueres potestate, & non solum ejus spolia distribueres, verum etiam arma in quibus confidebat auferres. Hujus itaque considerationis obtentu, cum in manibus tuis & aliorum fortium quos in sanctum exercitum congregatos zelus Domini contra fidei subversores armavit necnon etiam Legatorum nostrorum Carcallonensem & Biterrensem civitates ac alias haereticorum terras mirabiliter altissimus tradidisset, Principes ejusdem exercitus cum praefatorum Legatorum consilio tuo ipsas regimini commiserunt, sperantes in Domino quod per providentiam tuam omnis ab ea debeat haereticae pravitatis eliminari spurcitia & ibidem salubriter reformari puritatis catholicae disciplina. Nos igitur quod ab ipsis pie ac provide factum est ratum & gratum habentes, civitates & terras ipsas,